

RELATIO DE OBSERVANTIA CANONICAE MATRIMONIORUM DISCIPLINAE.

SACRA CONGREGATIO DE SACRAMENTIS - PROT. N. 94/71 A-g II - ROMAE, 2. III. 1971.
Em.mo ac Rev.mo Cardinali Antonio Poma, Praesidi Conferentiae Episcopalis Italiae.

Em.me ac Rev.me Domine,

Ad christiani connubii celebrationem rite peragendam atque eiusdem sacramentalitatem opportune tutandam haec Congregatio de Disciplina Sacramentorum die 29 Iunii 1941 Instructionem *Sacrosanctum* (A.A.S. XXXIII, 1941, pp.297-318) edendam curavit.

Cuius documenti valorem, longa progrediente aetate, imminutum non esse pro comperto habetur; quin immo novarum doctrinarum agendique rationem Ecclesiae doctrinis et principiis haud congruentium diffusio huic Dicasterio suadet pro bono animarum nonnulla quae in praefata Instructione praescribuntur quaeque maioris momenti aestimantur melius recognoscere vel, si necessarium sit, ad novam formam redigere ut rerum adiunctis et nostri temporis condicionibus efficacius adhaerere possint. Quod sane haec Congregatio ad effectum perducere desiderat; opus esse, tamen, censet noscenda congerere una cum observationibus vel forte difficultatibus quae a locorum Ordinariis Dicasterio significari queant.

Nunc vero huiusmodi notitias necnon perspectas difficultates aliaque Ordinariorum consilia Congregatio scire posset si locorum Ordinarii praescriptam "Relationem" (Cfr. n. 12 Instr. *Sacrosanctum*), iuxta haec *adnexum* formularum modulum, huc transmittendam curarent.

Humaniter, igitur, Eminentiam Tuam rogo ut, modis moribusque, qui Tibi ad rem aptiores in loco videantur, istius Nationis Ordinarii certiores fiant de opportunitate optatam Relationem, ad annum 1970 pertinentem, conficiendi, ita ut Dicasterium illam ante mensem maium curr. anni recipere valeat.

Cuncta Tibi bona faustaue a Deo adprecior et occasionem perlibenter nanciscor me, omni quo par est obsequio, profitendi

Eminentiae Tuae Rev.mae
addictissimum in Domino

JOS. CASORIA, *Secr.*

ANTONIUM CARD. SAMORE, *Praef.*

* * *

In questo numero del "Notiziario" viene inserito copia del modulo, con preghiera di rispedirlo, debitamente compilato, alla S. Congregazione dei Sacramenti (Piazza Pio XII., 10 - 00193 Roma).